



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 63. Continuatio præfatæ Bullæ contra Lutherum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Secul. XVI.

A.C. 1520.

*XL. Animæ ex purgatorio liberatæ suffragiis viventium minus beantur, quam si per se satisfecissent.*

*XLI. Prælati Ecclesiastici, & Principes sæculares non male facerent, si omnes saccos mendicitatis delerent.*

§. LXIII.

*Prosecutio Bullæ Leonis X. contra Lutherum.*

**H**is subjungit Pontifex in eadem Constitutione: Nos in præmissis utpote gravissimis propensus (ut decet) procedere, necnon hujusmodi pesti viam præcludere cupientes, habita super prædictis erroribus, & eorum singulis diligenti discussione, ac districto examine, omnibusque rite pensatis cum S. R. E. Cardinalibus, ac Regularium Ordinum Ministris generalibus pluribusque aliis Theologiæ, Jurisque Magistris reperimus eosdem errores respective esse contra Ecclesiæ doctrinam sive traditionem, & contra veram divinarum Scripturarum ab ea receptam interpretationem. Unde auctoritate Dei, & B. Apostolorum Petri & Pauli & nostra, præfatos omnes & singulos articulos seu errores tanquam respective hæreticos, aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensivos, vel simplicium mentium seductivos, & veritati Catholicæ obviantes damnamus, atque omnino rejicimus, inhibentes sub majoris

joris excommunicationis latae sententiae ac Saecul. XVI.  
 privationis omnium dignitatum, ne quis praefatorum errorum aliquos asserere, defendere, A.C. 1520.  
 docere, praedicare, aut illis quomodolibet  
 publice vel occulte, quovis quaesito colore vel  
 ingenio, tacite vel expresse favere praesumat;  
 Mandamus etiam Locorum Ordinariis aliisque,  
 ut scripta, libellos, vel in eis contenta  
 capitula, articulos supradictos continentia  
 diligenter quaesita, publice, & solemniter in  
 praesentia Cleri, & populi, sub omnibus &  
 singulis praedictis panis comburant,

Postmodum Papa conatus, quos ad  
 revocandam emotam Lutheri mentem,  
 atque impetrandam errorum suorum de-  
 testationem adhibuisset, enarrat. Post-  
 quam enim, prosequitur Papa, ipsum cita-  
 vimus, mitius cum eo procedere volentes il-  
 lum invitavimus, atque tam per diversos tra-  
 ctatus cum Legato nostro habitos, quam per  
 literas nostras hortati fuimus, ut a praedi-  
 ctis erroribus discederet; aut ad nos, oblato  
 etiam salvo conductu, & pecunia ad iter ne-  
 cessaria, sine metu seu timore veniret. Quod  
 si fecisset, pro certo, & ut arbitratur, ad  
 cor reversus errores suos cognovisset: nec in  
 Romana Curia, quam tantopere vanis ma-  
 levolorum rumoribus plus, quam oportuit,  
 tribuendo vituperat, tot reperisset errata;  
 sed citatione, omnibusque supradictis spretis  
 venire contempsit, ac contumax de citatione  
 Hist. Eccles. Tom. XXXIII. L1 hujus-

**Sæcul. XVI.** *hujusmodi notitiam habens in vocem temera-*  
**A.C. 1520.** *riæ appellationis prorupit ad futurum Con-*  
*cilium, contra Constitutionem Pii II. ac Ju-*  
*lii II. Prædecessorum nostrorum, qua cave-*  
*tur, taliter appellantes hæreticorum pœna*  
*plectendos: contra ipsum ad condemnatio-*  
*nem ejus tanquam hæretici procedere posse-*  
*mus; nihilominus Dei clementiam imitantes,*  
*qui non vult mortem peccatoris, sed magis*  
*ut convertatur, & vivat, de venerabilium*  
*Fratrum nostrorum consilio, ipsum Marti-*  
*num per viscera misericordiæ Dei hortamur,*  
*ut pacem Ecclesiæ turbare desistat, & a tam*  
*perniciosis erroribus prorsus abstineat. Alio-*  
*quin ipsum Martinum, ejusque adhærentes*  
*requirimus, ipsisque mandamus, ut infra*  
*sexaginta dies a præfatis erroribus desistant,*  
*librosque præfatos errores continentes com-*  
*burant, vel comburi faciant. Si vero secus*  
*egerint, ac præmissa infra terminum præ-*  
*dictum non adimpleverint, declaramus eos-*  
*dem tanquam notorios, & pertinaces hære-*  
*ticos pro talibus ab omnibus haberi manda-*  
*mus, eosque omnibus pœnis a jure inflictis*  
*subjicimus. præterea monemus singulos Chri-*  
*sti fideles, ut eos post lapsum termini præ-*  
*dicti evitent, nec cum eis commercium, vel*  
*aliquam communionem habeant, nec eis ne-*  
*cessaria ministrent. Mandamus etiam, ut eos*  
*personaliter capiant, loca vero, ad quæ eos*  
*declinare contigerit, quamdiu ibi permanse-*  
*rint, Ecclesiastico subjicimus interdicto. De-*  
*nique*

nique Pontifex in fine ceteras solemnitates ad ejusmodi casus requisitas subjungit. Sæcul. XVI. A.C. 1520.

Non deerant inter Lutheri fautores, Pallavic. hist. Conc. Trid. l. 1. c. 21. n. 3. qui hanc Leonis Constitutionem reprehenderent; ac primo quidem carpebant, 6. & 7. articulos in diplomate propositos sub incerta verborum clausula fuisse damnatos.

II. Sugillabant, inter quadraginta & unum articulos in Bulla prosriptos reperiri aliquos, quos ejus Prædecessores inter Græcorum errores damnassent. III. Opponebant, quod Pontifex de tot, tantique momenti articulis fidem concernentibus, ex solo Curiae Romanæ consilio judicium tulisset, nec rem cum majori Italiae Episcoporum parte communicasset (\*). Ipsi quoque Luthero tam subita (ut putabat ipse) errorum suorum damnatio haud exiguam admirationem peperit; ac causæ suæ desperans Segun- gum interpellavit, ut precibus apud Cæsarem id efficeret, quatenus illius inter- ventu honestis sub conditionibus in Sedis Apostolicæ gratiam redire posset.

L I 2

§. LXIV.

(\*) Hæc opposuit Paulus Snavis (vulgo dictus Fra Paolo) ac subdole ea a rerum pe- ritis in Leonis Constitutione annotata fuisse di- xit: uti refert Pallavicinus, ex quo Continua- tor ea descripsit, omittens tamen mentionem facere de solida eorum confutatione, quam idem Pallavicinus loco supracitato adjecit.